

Bibliothèque numérique

medic@

**Leger, Arnould - candidat / Disdier,
François-Michel - président. - De
claviculae fractura**

1768.

***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Regii Chirurgorum Collegii
Typographi.***

Cote : ms 2343, n°28

THESES

ANATOMICO-CHIRURGICÆ,

DE

CLAVICULÆ FRACTURA.

Quas DEO JUVANTE, & Præsidi M. FRANCISCO-MICHAELE DISDIER, Artium & Chirurgiæ Magistro, Collegii antiquo præposito, Regiæ Chirurgiæ Academiæ Consiliario, in Academiâ Picturæ & Sculpturæ sancti Lucæ Professore Anatomes, &c. *tueri conabitur*, ARNALDUS LEGER *Versaliensis*, Artium Liberalium Magister in *almâ Universitate Parisiensi*, unus è Regiæ Chirurgis, *Theses Auctor*.



PARISIIS,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,


Die 3â. Décembre à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.
A. R. S. H. 1768.

PRO ACTU PUBLICO
ET
SOLEMNI COOPTATIONE.

Typis P. AL. LE PRIEUR, Regii Chirurg. Collegii
Typographi.

M. DCC. LXVIII.

Ee.





D. O. M.

THESES

ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

DE

CLAVICULÆ FRACTURÆ.

L.

DIGNISSIMUM sanè Philosopho spectaculum , accurata humani corporis inspectio. Ossa, cartilagines , membranæ , nervi , vasa quælibet , amplam perquisitionibus materiem præbent. Si cognitis duntaxat partibus solidis , non attendat quid virtutis habeant in fluidas , quidquæ que conferre valeat ad singularum sive incolumitatem sive reparationem , opus quidem aggredietur , quo ingenii sagacitatem ac gratiam probabit , sed undè nulla emerget in commune utilitas.

A ij

I I.

INTROSPICERE simul & tueri machinam humanam, hoc palmarium : suis horret quodam modo difficultatibus labor. Labor autem & voluptas, licet dissimillimi naturâ, naturali quadam inter se connexionē juncti sunt, ut dudum testatus est vir apud Romanos prudentiâ spectatissimus. Ea porro semper extitit Collegii & Academiae Chirurgiae mens, hoc etiamnum viget institutum, ut explanatis omnibus quae versantur circa membrorum fabricam, partium quibus aliquid offensionis accidit, restorationi aut saltem curationi pro viribus succurratur.

I I I.

A proposito itaque non aberrantes, cum obtigerit nobis perpendenda Claviculae fractura, antequam ad remedia nostro tempore adhiberi solita progrediamur, anatomicam partis expositionem in medium proferre juvat.

I V.

NATURA firmis ac solidis ossibus humanum corpus instruxit, stabilivitque, ut undequaque flecti & moveri possit. Quod quidem opus eleganti artificio constat. Ossis enim cujusque extremitas alterius sinum & capacitatem subit. Longum foret enumerare aut describere singula. Quapropter ea tantum attingemus, quae nostras positiones spectant.

V.

CLAVICULAE, quasi thoracis claves, binæ sunt numero, utrinque una, acromio & sterno interjectæ & articulatae; in mulieribus ad colli & pectoris venustatem ac prominentiam minus incurvatae, magis vero in viris, ob brachiorum motus promptiores & fortiores, videntur.

V I.

CLAVICULAE substantiâ intus spongiosâ donantur. Levissi-

5
mis alioqui tegumentis operiuntur ; unde mirum videri non
debet hæc ossa frequentibus fracturis esse obnoxia.

V I I.

MULTIPLEX est Clavicularum usus. Scapulas nimirum in
fede naturali continent, brachiorum à se invicem disjunc-
tioni favent, musculisque insertionem præbent.

V I I I.

Os quodlibet cum suapte naturâ sit substantia solida ;
ubi solutionem continuitatis patitur, ibi adest fractura,
quæ præsertim claviculis, tum propter partis positionem,
tum propter ejusdem exilitatem, sæpissimè evenit.

I X.

INTER fracturarum Claviculæ causas non immerito recen-
feri possunt instrumenti cujuscumque contundentis impetus,
externa corporum gravium violentia, lapsus, ictus, &c.

X.

CUM verò diversimodè lædi queat aut frangi vel in
mediâ parte, vel in extremitatibus, vel in uno duntaxat
loco, vel in pluribus, seu transversè seu obliquè, mani-
festum est fracturas modò simplices esse, modò compositas,
nonnunquam verò complicatas.

X I.

ADESSE fracturam denuntiant tactûs & auditûs organa,
aliaque signa sensibilia ; eandem plus minus-ve periculi
secum importare pro variâ læsionis naturâ, non obscurum
est.

X I I.

ACCIDENTIA autem quæ fracturam Claviculæ concomi-
tantur plurima sunt, videlicet ex impedita partis func-
tione, dolor & incommodum, inflammatio, febris, pul-

6

monum offensio, interclusus arctè spiritus, sanguinis profluvium, nervorum distensio, sphacelus, aliaque gravissima symptomata.

XIII.

Medio hæremus in opere, si expositis fracturarum causis, naturâ, diagnosi, prognosi, ad ipsarum curationem non progrediamur. Tribus porro mediis præstari potest, sed hæc non semper pro votis diligenti-ve operantis industriâ, succedunt. Clavicula quidem facili negotio in situm naturalem reponitur, difficilius verò ibidem ob frequentes seu potiùs indefinientes brachii motus, continetur. Quibus tandem feliciter peractis, operæ pretium est attendere, ut callus quam minimùm deformis videatur. Illa autem Chirurghi cautela, quamvis ad meliorem subjecti habitudinem nequaquam conducens, si viris ipsismet non ingrata sit, multò magis arridet mulieribus potissimùm eleganti formâ donatis, quæ pectoris venustati student. Res est alex plena vixque Chirurghi votis & peritiæ respondens.

XIV.

Cum Clavicula reducta, è sede naturali quandoque dimoveatur, excogitata subindè sunt multa instrumenta quæ huic malo occurrerent; laudabilis prorsus est inventorum finis, qui nihil aliud profectò intenderunt quàm, ut hominum commodi ac incolumitati consulere. Quanto laudabilior clarissimus inter nos magister BRASDOR, Auctor thoracis manicati, quo mediante scapulæ versùs posteriora indefinenter attrahuntur. Hujus instrumenti structuram, usum, excellentiam, responsionibus magis quàm scriptis dilucidabimus.

XV.

ILLIUS autem instrumenti defectu fasciam simplicem suffecisse, innumeris comprobatur observationibus. Itaque haud abs re erit eam in talibus proponere. In situ opportuno collocetur æger, adhibeaturque primò fasciatio gallicè *huit de chiffre* dicta, quâ mediante uterque humerus alternatim firmiter contineatur versùs posteriora, dehinc apparatu appposito, instituatur deligatio *spica* nuncupata, brachiumque mantilis ope accuratè involvatur.

XVI.

CONTENTA solidè Claviculâ, accidentia, remediis quæ vulgò
in ossium fracturis adhiberi solent, habitâ morbi naturæ,
ægotantisque temperamenti ac ætatis ratione, faciliè ar-
centur.

FINIS.

